

trum tenue eis longius attenuatis, omnium pappo plumoso achenio æquilongo.

Hab. in valle *Mokattein* Arabiæ Petreæ aliisque deserti locis. (Boiss.) Huc quoque spectare videtur Aucher № 3411 e *Persia australi* ob flores nondùm evolutos subincertum.

Folia pollicem aut amplius longa, caules 3-6 pollicares, capitula eis *P. paucifloræ* majora; species acheniis longè rostratis insignis hâc notâ ad *P. longirostrem* Schultz tantum accedens quæ foliis angustè linearibus, caulis divaricatim ramosissimis, pedunculis apice in-crassatis, acheniis rufescentibus etc. discedit.

MILLINA ARABICA Boiss.

M. annua, foliis omnibus radicalibus rosulatis densè et breviter setulosis griseis linearibus pinnatipartitis segmentis brevibus angustè lineari-lanceolatis, scapis procumbentibus vel ascendentibus foliis 2-3 plò longioribus simplicibus vel bicephalis, involuci squamis adpressè imbricatis ab extimis ad intimas lineares sensim elongatis farinoso-puberulis apice nigricantibus, ligulis concoloribus disco sesquilonioribus, acheniis rectis tenuissimè cylindricis sulcatis transversè tenuiter rugulosis rostro setaceo acheniorum marginalium paulò breviori centralium æquilongo terminatis, pappi rostro æquilongi setis 10 basi paleaceo-dilatatis supernè plumosis plumis deciduis.

Hab. in *rabiā petrœā* ad fines Palæstinæ cum *M. hispidulā*, legi vere 1846.

Habitus et folia *Picridis radicatæ* Lessing. A *M. hispidulā* eximiè differt foliis abbreviatis angustè linearibus, lobis brevioribus magis æqualibus, indumento griseo setuloso, involuci phyllis regularius imbricatis, acheniis abruptius et tenuius nec sensim in rostrum attenuatis, pappo achenio breviori nec æquilongo.

Pro *Millinā Persicā* Boiss. in Diagn. VII p. I lege **MILLINA HISPIDULA** Boiss. var. *tenuiloba*. Hanc plantam ex speciminibus in Arabiā petrœā et Ægypto lectis agnosco pro formâ *Crepidis hispidulæ* Del. Æg. tab. 42 fig. I. — *Oporiniæ hispidulæ* DC. quæ foliis plus minus incisis ludit. Hæc species omnibus characteribus et in primis acheniis evidenter et longè in rostrum attenuatis *Millinæ* nec *Crepidæ* vel *Oporiniæ* adnumeranda est, inter *Millinæ* sectiones intermedia et eas optimè conjungens.